DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

DE

VARICELLIS,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

LAUREA RITE OBTINENDA

IN CELEBERRIMA ACADEMIA JOSEPHINA

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

BENJAMINUS JOSEPH. TILSCHKERT

Moravus Ossoblaviensis

Medicus castrensis.



IN THESES ADNEXAS DISPUTABITUR IN AEDIBUS ACADEMIAE JOSEPHINAE DIE MENSIS JUNII MDCCCXXXII.

Vindobonae,

ex typographia viduae Stöckholzer de Hirschfeld.

PERILLUSTRI SPECTABILI

A C

DOCTISSIMO

DOMINO DOMINO

Francisco Scholz,

ARTIS MEDICAE DOCTORI

INSIGNI OSSOBLAVIAE MEDICO.

VIRO

SCIENTIA, INTEGRITATE ET HUMANITATE

VENERANDO,

FAUTORI OPTIMO,

PRIMOS HOSCE STUDII ACADEMICI

FRUCTUS SUMMA CUM

AESTIMATIONE VOVET AC

DEDICAT

Auctor.

Prooemium.

E familia morborum, qui sensu ubicumque recepto exanthemata audiunt, et quorum rectam combibere cognitionem, in decursu studii mei medici, sedulo semper conabar, elegi qua dissertationis inauguralis objectum Varicellas.

Hoc exanthematum genus non tantum propterea memoratu et disquisitionis penitioris dignum visum est, quod per biennium sub auspiciis Clarissimi Dom. Profess. Bischoff in Clinico nostro medico iteratis vicibus illud tractatum observavi; sed imprimis, quia respectu diagnostico varicellarum recta cognitio ob simititudinem quamdam cum variolis et varioloidibus summi habenda est,

facile enim permutatio harum similium specierum vel nimium timorem et excedentem providentiam provocat, vel ex altera parte, periculosae incuriositatis, et neglectae prophylaxeos ansa est; et quae de iterata in uno eodemque individuo affectione variolosa, vel de hominibus, post vaccinationem, variolis attamen correptis, narrantur, in plurimis casibus suspicionem admittunt, variolas cum varicellis permutatas fuisse.

DEFINITIO MORBI.

Varicellae sistunt exanthema contagiosum, *) vario loidibus, et nonumquam variolis perfectis magis minusve simile, quod modo pustulosum **) modo vesiculosum ***) adparet, morbum proprium, et independentem a vaccina insita format, et minus quam variolae iteratas recidivas excludit.

---

*) Justa principia Clariss. Dom. Prof. Bischoff exanthema designat efflorescentias cutaneas, in nexu essentiali cum febri existentes.

**) Pustula est secundum Eichhorn 1) circumscripta et in cellulas divisa corii elevatio, ex qua per punctionem cum cultello lanceolato (Lanzette) aperta, fluidum guttatim. solum profluit, quia elevatio cutanea hoc facto subsidat.

***) Vesicula vero designat partialem, nec in cellulas separatam elevationem epidermidis, cum collectione fluidi, quod sub punctione cum lanceola cito et integrum profluit, adeo ut epidermis prius elevata mox concidat. Opinioni Willani Batemanni 2) multorumque aliorum, qui pus ut momentum diversitatem inter vesiculam et pustulam determinans, agnoscunt, consentire non possum, quia hucusque materia purulenta a puriformi, et haec ab aliis similibus fluidis discerni non potuit.

1) Eichhorn über die Behandlung und Verhütung der contagiös — fieberhaften Exantheme. Berlin, Stettin und Elbing 1831 pag. XVIII und XIX.

2) Batemmanns practische Darstellung der Hautkrankheiten nach Willan's System bearbeitet von Abrah. Hanemann, Halle 1815.

Diversis nominibus varicellae ab diversis auctoribus insigniuntur, variolae emphysematicae Werlhofii, v. nothae Storchii, v. lymphaticae, volaticae, discretae Sauvagesii, v. varicellae Sagari, v. spuriae Muhrbeckii v. pusillae, lymphaticae simplices Heberdenii, v. illegitimae S. G. Vogelii, v. volantes, Pemphigus vario lodes Petri Frankii; Germanice, falsche Pocken, unechte, wilde, Hühnerpocken.

Usitatissime tamen ab medicis Angliae, Galliae, Germaniae et nomine maxime divulgato vocantur Varicellae.

Hanc varicellarum definitionem congruam esse sequentibus patet.

Varicellae exanthematibus adnumerandae sunt, febris enim prius ac efflorescentiae cutaneae, adparet, mox cum eruptione harum (in decursu normali) tenor febris minuitur, in testimonium, quod haec febris sit in intimo nexu cum processu morboso semet in organismo evolvente; mitior processus morbosi gradus (ut id saepius contingit) mitiorem quoque prae, se fert febrim, adeo, ut quandoque febriculae indicia sensus fugiant, imo plane dispareant, et absint, simili ratione id videmus in variolis localibus, quae febri nulla stipatae efflorescunt.

Varicellas vere contagiosas esse, nemo infitiabitur, qui earum propagationem per infectionem et inoculationem (de qua serius) observavit. Varicella in alium organismum transplantata varicellas iterum producit; si praeterea respicimus, quod nec vaccina insita, nec variolae exantlatae ab earum infectione tuentur, cum homines vaccinati vel variolis exantlatis, ab ipsis adgrediuntur, sat clare convincimur, varicellas morbum proprii generis sistere, qui vaccina insita nec praecaveri, nec in decursu suo mutari potest.

Similis cum variolis et praecipue cum varioloidibus forma patet ex diagnosi morbi, praesertim vero ex frequentissima permutatione varicellarum cum dictis exanthematibus, ut id conspectus historicus hujus morbi et observationes complurium medicorum affatim demonstrant, qui etiam unum eumdemque hominem iteratis vicibus varicellis adflictum fuisse, in annalibus suis adsignarunt.

Eruptio et decursus irregularis, morbique major benignitas nunc amplius in definitione characteristica non est, quia idem in varioloidibus observatur, hinc jure ommittitur.

Brevis morbi conspectus historicus *).

In fragmentis Herodoti, nobis per Aetium (1549) conservatis, Elsnerus prima vestigia varicellarum lymphaticarum et verrucosarum quaesivit, in delineatis ibidem efflorescentiis cutaneis; sed difficulter ex descriptione sat manca varicellarum notitia erui potest.

Josephus 'Frank confidens Werlhofii auctoritati putat, quod graeci et latini medici forsan unam alteramve varicellarum speciem jam observarunt. Alii ut Fontaneilles, Berard et de Lavit prima vestigia varicellarum cognitarum apud medicos Arabes quaesiere, et demonstrare volebant, varicellas sicut variolas antiquissimo aevo jam notas fuisse, deficiunt tamen clara et sufficientia indicia, praecipue, si disquisitio nostra eo dirigitur, an medici Arabum non solum

---

*) Batemann loco citato.
Car: G. Hesse. Ueber Varicellen und ihr Verhältniss zu den Menschenblattern und Varioloiden. Leipzig 1829, Eichhorn loc. cit.

varicellas, sed earum differentiam a variolis quoque noverint.

Primos et penitiores varicellarum conceptus in altera saeculi 16. parte invenimus apud auctores, qui variolarum apud infantes occurrentium species describunt, sic Vidus Vidianus et Ingrassias ipsas sub nomine Crystallorum delineant, ut albescentes, lympham continentes, crystallorum instar splendentes et exigua febri stipatas vesiculas.

Hoc ad finem vergente saeculo varicellarum mentionem facit Henricus Petreaeus, quae in ejus laudem variolae petraeae vocabantur, quamvis, ut Montesanto recte monet, majori jure nomen variolarum vidianarum ipsis convenisset.

Abhinc saepius in Italia, Gallia, Germania et Anglia observabantur, diversa tamen cum nuncupatione pro libitu auctorum; sic Sennert (1630) unus scriptorum Germaniae primorum, qui variolas et morbillos in tractatu suo accuratius describit, mentionem facit aliarum adhuc varietatum „praeter variolas com„munes et morbillos," quae vulgo sub nomine variolarum ovillarum et ventosarum notae sunt. Riverius (1650) refert de hoc exanthemate ubique cognito, ab Gallis, Verolette, ab Italias Ravaglione nuncupato.

Ab altera saeculi 17. parte saepius jam memoratur morbus hicce in annalibus illius aevi. — Sydenhamus describens epidemian variolosam anno 1667 grassantem dicit: „necque tamen eximuntur (a variolis) illi, quos adulterinum variolarum genus aliquod ad hunc morbum nihil attinentium prius obsederit." Zwinger describit epidemiam variolarum benignarum, anno 1712 Basilicae grassantem, quin tamen, nisi alia complicatio morbosa adfuerit, unus ex adfectis infantibus fato decederet. Hanc epidemiam varicellas fuisse, pa-

tet exinde, quia omnes infantes, feliciter exantlato hoc morbo, subsequo autumno et hieme, variolis malignis correpti, diem supremum obiere. Antequam vaccinatio innotuit et divulgabatur, anceps semper tantum fuit varicellarum cognitio, nunc vero, ad refutandam objectionem, ac si homines vaccinati, tamen variolis corripiantur, sedulo medici adlaborarunt ad diagnosim varicellarum firmam et congruam statuendam.

Goschwitz (1727) oppugnavit jam identitatem varicellarum et variolarum, et qua differentias utriusque exanthematis statuit diversitatem febris, formam efflorescentiarum, decursum et terminationem diversam, negat tamen varicellarum contagiosam indolem, et decursum saepius epidemicum.

Fuller in exanthematologia 1730 in lucem edita describit varicellas, et sat clare profert, ipsas et variolas morbos esse quoad essentiam diversos. Brevem, ast characteristicam descriptionem debemus Sauvagesio (1763), qui ipsas sub nomine variolarum lymphaticarum tamquam speciem variolarum considerat, ejus exemplum Sagar secutus est, qui in systemate suo nosologico, illas generi variolarum, et ordini variolarum lymphaticarum inserit cum denominatione: variola varicella.

Heberden (1767) sagacissimus quoad diagnosim, discrimen clarum docuit et vocavit illas variolas pusillas. R. A. Vogel (1772) primus videtur ad morbum nostrum designandum nomen Varicellae adhibuisse.

Summopere aestimanda quoad historiam varicellarum profert Sims, in suis adnotationibus de morbis epidemicis, ubi memoratu dignam epidemiam varicellarum anno 1769 describit.

Diagnosim hujus morbi magis confirmavit Dimsdale, qui, uti et Heberden, adfirmat, quod per inoculationem, varicellae, qua tales, transplantari possunt.

Collectionem egregiam observationum recentiorum et opinionum de varicellis edidit C. L. J. Muhrbeck 1) qui fusius hypothesim de idenditate contagii varicellarum et variolarum defendit.

Post vaccinationem ubique vulgatam saepius varicellae cum varioloidibus permutabantur, ac antea cum variolis contingit; propterea Willan 2) doctrinam de varicellis melius dilucidare adlaboravit. Heim 3) reputans, quod variolosa exanthemata in individuis felici successu vaccinatis, exorta, nil nisi varicellae sint, dissertationem egregiam scribsit, ubi praeprimis diagnosim varicellarum variolis similium firmam statuere conatur, et serius concessit existentiam varioloidum, et quod in vaccinatis variolae oriri possunt.

Quum tempore recentissimo varioloidibus, qua medium inter variolas et varicellas diagnosis summopere difficilis facta fuit, et continuo repetitae permutationes ambarum specierum nil nisi triste testimonium diagnoseos incertae ancipitisque praebuerunt; sedulo studio medicorum tandem diagnosis varicellarum sensim exculta fuit. Primum inter Anglos locum hoc respectu Thomson meretur. Edidit opera duo, quorum primum (1820) pertractat epidemiam Edinburgensem variolosam, alterum (1822) complexum

1) Muhrbeck dissert. inaug. de variol. spuriis Götting. 1794.

2) Ueber die Kuhpockenimpfung, aus dem Engl. von Mühry. Götting. 1808.

3) Heim, über Diagnostik der falschen Poken in Horns Archiv von 1809, B. 9. Heft 2.

historicum opinionum sistit, quas medici omnium aevorum de varicellis fovebant, et pertractat in simul iteratam earum efflorescentiam in uno eodemque individuo. Conceptum attamen obsoletum cum Bérard et de Lavit restituere voluit, nempe, quod varicellae et variolae uno eodemque producantur contagio, in prioribus tantum formam morbi ob individualitatem adfecti esse mitiorem, quod his duabus speciebus varioloides sint analogae, et quemadmodum post variolas exantlatas infectio varicellarum valet, ita nunc quoque in vaccinatis id contingere posse.

Lüder 1) putat, in diagnosi exanthematum variolosorum omnimode a forma abstrahendum esse, discernit omnia secundum sedem in cute, et varicellis adsignat, qua substratum, rete Malphigii. Omnes varioloides, quarum pustulae in circumferentia nullam exhibent elevationem duriusculam, generi varicellarum inserit, et quamvis diversum contagium inter variolas et varicellas profiteatur, asserit tamen, quod in vaccinatis cum bono effectu, ex variolis oriri queant varicellae.

Möhl 2) modificatam profert Thomsonii opinionem, varicellas enim crystallinas, (intelligit vesiculares) tantum unice qua varicellas habet, cum insito, ipsis proprio, specifico et ab variolis diverso contagio; varioloides vero identicas cum variolis putat, quae non per vaccinationem productae sed antea jam cognitae erant, et olim sub diverso nomine variolarum verrucosarum et innominatarum ad varicellas numerabantur.

---

1) Lüder's Versuch einer kritischen Geschichte der Menschenblattern bei Vaccinirten. Altona 1824.

2) Möhl de varioloidibus et varicellis. Hafniae 1827.

Biett 1) unus illorum, qui varioloidum et varicellarum differentiam exactius assignarunt, quae in prioribus constans, et in foveola umbilicali, et remanente saepius cutanea elevatione fundata est, quae duo signa in varicellis numquam occurrunt; negat attamen harum naturam contagiosam, et illas ceu vesiculas in cute putat.

Tractatus minores de varicellis ediderunt: Stieglitz, Kausch, Lichtenstädt, Gittermann, Oelze, Seiler, Jahn etc. etc. Hesse et Eichhorn sedula observatione complurium varicellarum epidemiarum, multum ad cognitionem hujus morbi contulere.

Decursus et Symptomata morbi.

Varicellae et in habitu externo, et in symptomatibus suis tantopere varietates offerunt, ut generalis morbi decurrentis descriptio sit difficillima, attamen, ut symptomata quodammodo dilucidentur, conducit morbum in quatuor stadia dividere.

Verum haec divisio numquam tam perfecta, ac in variolis, regulariter magis decurrentibus, est; varicellae in decursu suo, et in omnibus symptomatibus nimis irregulares et mutabiles sunt, stadia diverso tempore, modo longiori modo breviori, excurrunt, et quotquot varicellarum casus observare licuit, semper summam diversitatem cognovi.

Haec Stadia sunt:

1. Stadium Invasionis,
2. Eruptionis,
3. Maturationis,
4. Exsiccationis.

---

*) Praktische Darstellung der Hautkrankheiten nach Biett, dargestellt von Cazenave und Schedel. Weimar 1829.

His proprie ad morbum spectantibus stadiis antecedit stadium momentosissimum infectionis et ortae exinde opportunitatis.

Quamdiu stadium opportunitatis perdurare valeat, nescimus. Nonnullis tempus intermedium inter stadium infectionis et invasionis brevius esse videtur quam in variolis 1), alii, ut Hesse contrarium nonnumquam observarunt.

In hoc stadio opportunitatis apud infantes praecipue sequentia in conspectum veniunt indicia morbi gliscentis: fastidium ludendi, inquietudo, taedium, somnolentia, somnus inquietus, ciborum aversatio, sensus gravitatis praesertim in extremitatibus inferioribus, et horripilationes. Hae tamen adparitiones valde incertae facile medicum fallunt, saepius quoad ex- et intensitatem sunt perexiguae, saepius plane deficiunt, et eruptio exanthematis contingit repentina et inexspectata. Hinc prodromi hi tantum regnante epidemia varicellosa respectum merentur.

Stadium I.

Morbi invasio plerumque comitatur a febri leviori, quae post pastum vel ad vesperas intrat, et semetipsam modicis, saepius repetitis horripilationibus cum subsequo continuo-remittente, vespere exacerbante calore et sudore, delasatione corporis, continuo taedio et fastidio, adaucta sensibilitate erga lucis influxum, sensu oppressionis in oculis, sternutatione, coryza, linqua albicante, sapore fatuo, vel salso, appetitu deperdito, digestione turbata et pulsu quidquam frequentiori manifestat.

---

*) Sprengl's Handbuch der Pathologie, 3. Thl. Leipz. 1797.

In casibus multo rarioribus febris intrat cum conquassante frigore et calore correspondente, quae in simul doloribus fixis et obtusis in regione frontali, lacrymarum fluxu, angina, et impedita magis minusve deglutitione, siti magna, cum tussi, pressione in praecordiis, nausea, vomituritione, vomitu, doloribus extremitatum; magis accelerato pulsu, imo etiam adfectionibus neuropathicis, ut: deliriis et convulsionibus conspicitur juncta.

Character febris plerumque est irritativus, adeo, ut febri catarrhali mitiori proxime accedat; interdum tamen favente constitutione regnante, et pro diversitate individuali, febris characteres alios, v. g. rheumaticum, gastricum, etc. induere potest.

Saepius quoque symptomata enumerata adeo exigua et benigna sunt, ut coenesthesis vix, vel ad breve tempus tantum turbetur, adeo ut infantes lectum non petant, imo adhuc obambulent. Duratio hujus stadii diversa est, plerumque ab paucis ad 24 horas.

Stadium II.

Postquam febris unam vel plures exacerbationes exantlaverat, plerumque in primis 24 horis post invasionem, vel brevi postea, secunda, imo et tertia die (rarissime serius) adparent cum sensu pruritus, praecipue ab initio in dorso, collo et pectore, et dein ordine non statuto in reliqua superficie corporis, vel etiam mox in diversis cutis partibus, cum intervallis tamen diversis maculae profunde, varieque rubescentes quae non exacte circumscriptae diversam exhibent magnitudinem, majorem plerumque, quam in variolis observatam; sub digito comprimente ad momentum disparent, et in quarum centro, quamdiu supra cutem non elevantur, nullum punctulum durum reperitur.

Exanthema modo confestim elevatur ad tubercula mollia, facile compressibilia, quae tamen ob subitaneum et celerem transitum in vesiculas vel pustulas, saepius non observantur.

Nonnumquam brevi ante eruptionem exanthematis tempore, adparet intumescentia cutis, praecipue in facie, quandoque cum rubore ejus juncta, (haec rubescentia fugax et erythematosa, juxta Batemannum saepissime occurrit in varicellis acuminatis) rubor eo intensior est, quo plures efflorescentiae subsequuntur, et disparet plerumque ante, et intumescentia cutis mox post subsecutam eruptionem.

Perfecta modo eruptione febris plerumque remittit, et symptomata ejus disparent. Febris in genere correspondet evolutioni et decursui exanthematis, quo mitius hoc, eo mitior illa observatur. Febris plurimis in casibus durat per 24—36 horas et in hoc brevi spatio symptomata reliqua disparent, excepto exanthemate adhuc perstante. Occurunt tamen secundum C. L. Hoffmann, Reil, Stieglitz, Heim, Willan etc. infectiones varicellarum, ubi ia prima febris eruptione haec 2—3ve dies, et diutius adhuc perdurat, quia singulae eruptiones intervallis brevioribus longioribusve contingebant. Stadium Eruptionis ergo plerunque spatio 24 horarum absolvitur.

Stadium III.

Hoc stadium plerumque jam sexta post eruptionem hora intrat, quin febrim (febrim suppuratoriam) comitem habeat. Sub continuo pruritu indurantur aut stigmata elevata sive papulae, et in apice tantum quidquam fluidi adparet, aut tubercula citissime in evolatione progediuntur, et formantur pustulae acuminatae in bassi sua inflammatae, et repletae fluido pellucido,

quae ad magnitudinem grani milii vel seminum canabis, imo quandoque ad formam et magnitudinem dimidiae pisi partis increscunt. In aliis casibus ex stigmatibus excrescunt cito globosae, variolas magnitudine superantes, pellucidae vesiculae. (in hoc casu transitus in papulas non agnoscitur). Halo fundum varicellarum singularum ambiens, qui magis minusve conspicuus, et saepius deest, numquam circumscriptus, raro duriusculus, et irregularis est, sensim evolvitur usque ad summam exanthematis efflorescentiam, ubi dein minor et quidquam lividior evadit.

Pustulae vel vesiculae citissime increscentes, et in statu perfecte evoluto, ubi fluido repletae sunt, molles pultaceae, nulla foveola umbilicali imbutae cum superficie cutanea vel formant angulum fere rectum, vel obtusum. Fluidum in ipsis contentum ab initio limpidum, sensim turbidum evadit, flavescens, saepe lactescens vel puriforme et purulentum.

Plerumque hae efflorescentiae non nimis frequentes sunt, sic Heberden numquam plus, quam ducentas, quarum duodecim in facie adparuerunt, vidisse profert, sunt dispersae modo irregulari inordinato, plurimae occurunt in dorso, dein in pectore, rarius in facie et rarissime in parte capitis capillata, in vola manuum et planta pedum, et vix umquam in partibus illis, ubi cutis externa in membranas mucosas abit. Multae quoque, praecipue in extremitatibus inferioribus remoram patiuntur in evolutione, et hae nonnumquam halone carent.

Saepius inter varicellas perfecte evolutas novae iterum evolvuntur, quarum quaelibet cyclum proprium absolvit, adeo, ut in uno subjecto insimul stadium evolutionis, maturationis et exsiccationis observare liceat, et haec circumstantia saepius morbi decursum protahit.

Stadium hoc durat plerumque per 24—36 horas.

Stadium IV.

Die 3. 4., raro serius sub adaucto pruritu incipit exsiccatio eodem ordine, quo efflorescentiae, adparuere, vesiculae vel pustulae turgorem ammittunt, varicellae autem prius in angulo recto supra cutaneam superficiem elevatae in apice fiunt planae et margines offerunt, omnes vero subsident, marcescunt, rugantur, halo minuitur, et profundius tingitur, et punctulum flavum in medis exanthematis confestim increscit, et paucis post exsiccationem intrantem momentis abit in planas, non accurate circumscriptas crustas diversae magnitudinis et varii coloris. Multae varicellae disparent modo insensibili, obfuscantur et exsiccantur in tubercula exigua, multae abeunt in squamulas tenues, flavescentes, et mox evanescentes.

Exsiccatio incipiens usque ad perfectam crustarum formationem plerumque 2—3ve diebus absolvitur. Crustae per longius breviusque tempus remanentes plerumque a 6ta ad 11mam morbi diem decidunt, et punctula, serius ocyus disparentia relinquunt; Cicatrices remanent tantum, ubi vel pustula fluido puriformi repleta fuit, vel fricabatur, hinc plerumque in fronte, naso et dorso, semper tamen isolatae sunt et quod numerum 15—20 vix excedunt. Hae cicatrices magis albae ac reliqua cutis sunt, plerumque in fundo glabrae, marginibus integris imbutae, semper tamen margine quidquam elevato circumdatae.

Integer morbus proinde, consuetim, nisi novae et posthume contingunt eruptiones cyclum suum sexto ad decimum diem usque absolvit.

Divisio varicellarum juxta formam in species diversas.

Svitenius et Vogelius jam juxta formam diversam tres varicellarum species statuerunt, quorum divisionem plurimi medici secuti sunt.

Temporibus nostris excolitur praecipue divisio Willani, quae antiquorum divisioni quodammodo analoga est, et quam ipse retinui, eo tantum discrimine, quod in descriptione harum trium specierum singulas ab diversis auctoribus diverse nuncupatas species, et varietates inserere adlaboravi.

1. Occurrunt tubercula inflammata, quae vel indurantur vel in pustulas abeunt. In priori casu duritiem veruccarum fere adipiscuntur, sunt magnitudinis mox ad signandae, coloris fusci, cornei, et sensim iterum disparent, nonnumquam in aliquarum apice fluidi lymphatici vel puriformis guttula reperitur, quae deincrustas formant, et hae sunt varicellae verrucosae auctorum, (Stein-Hornpocken) In altero casu tubercula magis evolvuntur, et cito elevantur, in acuminatas, margine inflammato circumdatas pustulas ad magnitudinem grani milii vel ad summum ervi, hae prima die lympham continent limpidam, quae tunc turbida, et 2da die, halone modo increscente in compluribus varicellis flavescens, evadit. Nonnullae fiunt rotundae, magis inflammantur et pure replentur. Tertia die pustulae subsident, et in earum centro formantur parvae, gummosae, flavae crustae, quae increscunt et plerumque profunde fusco colore tinguntur. Crustae sensim exsiccantur, solountur et 6 vel 7a die decidunt, et vocantur varicellae conoides Willanii seu acuminatae (Spitzpocken.) Illae quae pure repletae erant, cicatrices relinquunt permanentes, et similitudinem eminentem cum varioloidibus habent.

Si hae duae formae majori ad huc lymphae vel puris copia replentur, et latiores spongiosae et undulatae evandunt, vocantur Varicellae spongiosae (Schwampocke, Pelzpocke.) Hae formae nonnumquam pro se sed plerumque (junctae cum sequenti specie occurrunt et praeter hanc sunt frequentissimae.

2. Vel sunt parva, inflammata oblongata tubercula, e quorum medio altera die pustulae cum apice vel magis plano vel acuminato, fluido lymphatico repletae, quoad magnitudinem dimidiae pissi parti similes, et sub angulo recto elevatae oriuntur, tertia die uidum fit luteum. Sequenti modo die pustulae collabuntur rugantur, et 6ta die formant crustas tenues fuscasque, quae 9 vel 10 a die decidunt, cum remanentibus rubescentibus, cito disparentibus maculis et vocantur Varicellae lenticulares Willanii, V. crystallinae Vogelii, V. aquosac, V. lymphaticae (Wasserpocken.) Raro tamen pro se observantur, quamvis frequentissime occurant.

3. Vel ex rubescente, subrotunda basi formantur nunc rotundae, nunc ovales, magnitudine pustulas variolarum superantes visiculae, quae halone cinctae ab initio fluidum pellucidum continent, quod altera die lactescit. Tertia die vesiculae subsident, rugantur, fluidum contentum fit flavum et nonnumquam purulentum, et sequentibus diebus exsiccantur in crustas nigrescentes, quae 4 vel 5ta die decidunt et quandoque circatrices relinquunt, vocantur varicellac globatae Willanii, V. suillae et ovillae variorum auctorum, V. bullosae (Schweins- oder Schafpocken) a nonnullis, sed absque omni jure Pemphigus varioloides, P. vesicularis votacae. Rariores sunt prioribus duabus speciebus, sed plerumque pro se occorrunt, quamvis etiam intermiaxtae sint nonnumquam singulis aliis speciebus.

Haec formae varietas in efflorescentia varicellarum medicos eo perduxit, ut plura genera et species assumserint, inter quae, secundum Fullerium aliosque, tantas existere putarunt diversitates, ut quaedam species hominem unica tantum vice adgredi valeat. E contra recte et omni jure Heberden statuit, varicellas tantum quoad nomen, non vero quoad essentiam esse diversas; huic opinioni etiam Muhrbeck et plurimi modo medici consentiunt, cum ex supra dictis claris sime patet, diversas species nil sistere, nisi diversos evolutionis gradus unius ejusdemque morbi, quapropter nonnumquam omnes tres formae in uno eodemque individuo adparent, eo discrimine, quod una vel altera species numero efflorescentiarum praevaleat, Interea, ipsa haec formae diversitas ex diverso evolutionis gradu memoranda est, partim quia unica nonnumquam species in uno subjecto occurrit, dein autem, ut varicellas a variolis et imprimis a variolidibus certe et cito discernere valeamus. Apud complures auctores varicellae, quae nequaquam ut diversae species agnosci possunt, recensentur cum diversis nominibus, eg: varicellae ventosae, emphysematicae, quae nil aliud sunt quam fluido suo per resorbtionem orbatae varicellae bullosae sive aquosae; varicellae confluentes oriuntur, ex enumaratis speciebus si complures efflorescentiae catervatim in puncto uno confluunt; varicellae sanquinolentae et gangronosae, si in casibus utique rarissimis vel sero sanquineo repletae sunt, vel per exulcerationem in gangraenam abeunt.

Contemplationi restant adhuc varicellae varioloides a celeberr. Heimio descriptae, de quibus utique nunc nondum lis composita, an ad varicellas vel variolas spectent. Hesse, qui priorem sententiam

defendit, adpellat ad Werlhofium, Storchium, Henslerum, Dimsdalem, Gilbertum Elsässerum Oelzem etc. qui omnes varicellas describunt, variolis similimas et ab his vix discernendas. Eichhorn e contra has varicellas varioloides Heimii, varioloidibus adnumerat, quia ad apicem impressae, et in medio foveola, quae varioloidibus propria est, instructae sunt. Hesse attamen tres ejusmodi casus observavit, et refert, se eo magis convictum fuisse, quod sint varicellae, quia omnes tres aepri hac propria specie tunc adflicti fuerunt, postquam reliqui familiae infantes varicellas exantlaverunt, quia eodem tempore in illo loco nec unica affectio variolosa observabatur, et omnes tres aegroti nec vaccinati, nec variolis olim adflicti fuerunt. Ex hac, compluribusque aliis observationibus verosimile est, quod varicellae varioloides Heimii non ad varioloides spectant, quapropter mox earum descriptionem adjungo.

Prodromis per aliquot dies praecedentibus intrat febris saepius sat valida 2—3 dies durans, cum nausea, vomitu, tumescentia faciei, deliriis mitioribus, oculis rubescentibus, siti adaucta, etc.; adparet dein exanthema copiosum ab initio in facie, et dein infra 2—3 ve dies in reliquis corporis partibus, imo et in ore, collo, in bulbo oculi, in genitalibus, vola manuum et planta pedum; efflorescentiae hae sensim elevantur, et sub adtactu duriusculae adparent. In centro earum formatur tuberculum, adeo, ut a variolis vix discerni possint. Complures pustulae elevantur sensim, fiunt rotundae, et implentur partim limpido fere pellucido, partim lactescente, adiaphano fluido, et fundum offerunt rubrum. Stadium maturationis durat 4—6 imo 9 dies et diutius; imo casus contingere possunt, ubi pustulae demum circa 15 diem exsiccantur. Antequam crusta formatur, apud complu-

res foveola umbilicalis observatur. Crustae ipsae adhaerent nonnumquam 1—2—3ve hebdomadas, et relinquunt hic ibive cicatrices, et diu durantes maculas rubras, rarissime deficientes; si vero deficiunt, oriuntur facile ulcera chronica.

Praeter has, quaedam frequentius occurentes dantur, e. g. varicellae verrucosae et spongiosae, quae variolis similes sunt, hoc contingit, si post efflorescentiam fluido purulento replentur, et propterea diutius in cute perstant, praesertim vero, si regulariter, ab initio in facie, et post febrim, per 3 dies durantem oriuntur.

Descriptio tamen haec et decursus hujusce morbi magis minusque nonnumquam turbatur et modificatur praesentibus aliis in organismo morbis. Sic observabatur hic morbus in uno individuo unacum vaccinis junctus, J. J. le Roux vidit ipsum insimul cum morbillis orientem et decurrentem. Reuss observavit varicellas morbillis et tussi ferina complicatas. Saepius adsociantur inflammationes mitiores oculorum, organorum respirationis et morbi alii, vel vicissim ad hos varicellae accedunt.

Etiam morbi posthumi, quamvis rariores et non nimis momontosi observabantur. Jam J. C. Stark profert, quod varicellae incuriose tractatae vel neglectae talibus sequelis periculosis, ut variolae, stipari possunt. Tales morbi posthumi sunt, eruptiones singularum varicellarum finito jam morbo, adfectiones oculorum, otitis, et profluvia ex auribus, furunculi, secundum Heim et Seiler tinea capitis, qua sequela vitiosae exsiccationis, secundum R. Vogel tussis valida, juxta alios asthma, dyspepsia, intumescentia glandularum etc.

Disquisitio varicellarum diagnostica seu: comparatio symptomatum hujus morbi cum similibus variolarum et varioloidum critica.

1) Febris ante et sub eruptione varicellarum plerumque gradus mitioris est, per 24—36 horas durat, quin tamen febris suppuratoria adsit, interdum tamen, ut supra dictum sint, 2—3ve dies ante primam eruptionem, et post illam durare adhuc potest.

In variolis et varioloidibus febris per 2—4 dies ante eruptionem durat, sed in ultima specie, saepe, tam mitis est, ut praetervideatur, nec in varioloidibus secunda febris invasio observatur; hinc, ut in varicellis id contingit, quod eruptione subsecuta, praeter exanthema omnia ejus symptomata dispareant.

2) Sensus saepe sat validi pruritus, in stadio eruptionis et maturationis varicellarum, etiam in lymphaticis et verrucosis varioloidibus quandoque, observabantur, sed tunc tantum, si paucae efflorescebant. Vericellae in his stadiis nunquam dolorem ardentem sicut variolae et varioloides provocant.

3) Plerumque varicellae efflorescunt irregulariter, vix primis evolutis quaedam serius adparent, et rarissime tantum secundum Heim et C. L. Hoffmann earum eruptio tam regularis est, ac in variolis et varioloidibus, quae intra tres dies in intervallis determinatis ab initio in facie, deinde in pectore et extremitatibus superioribus, et tandem circa tertiam noctem in inferioribus prodeunt, cum suppuratione in eodem ordine eveniente. Ast varioloides, imo, quae pure replete sunt, adparent quoquae, si exiguo solum numero efflorescunt, sic inordinate, sicut varicellae, et sistunt quandoque varioloides posthumas.

4) Cutis tumida turgescens, quandoque rubescens adparet non solum ante eruptionem varicellarum, verum quoque variolarum et varioloidum, nunquam tamen in varicellis tumor cutaneus revertitur, ut in variolis et varioloidibus pure repletis, qui tamen quandoque deest, si paucae varioloides solum efflorescebant.

5) Proprietates stigmatum in vericellis omnimode, diverse sunt ab illis variolarum et varioloidum; ultimarum duorum stigmata sunt rotunda, distincte circumscripta, et laete rubra, quae sub digito comprimente usque ad punctulum in centro profunde rubrum disparent, tangitur enim hic durum, nec comprimendum tuberculum, et antequam in papulas abeunt, durant per 12—24 horas.

6) Halo varicellarum est irregularis, inaequalis, profundior tinctus, plerumque intumidus, vel plane deest.

Variolae et varioloides fluido purulento repletae circumdantur magis rotundo, distincto, laete rubro et tumido, duriusculo halone. Varioloides verrucusae et lymphaticae offerunt vel nullum, vel non distincte circumscriptum, nec tumidum, ast quidquam pallidum halonem.

7) Varicellarum pustulae aut sub angelo acuto fere recto aut obtuso elevantur supra cutem, et plerumque nulla faveola umbilicali imbutae sunt *). Sub incipiente crustarum formatione tantum pustulae nonnullarum, ut: lenticularium et quandoque verrucosa-

---

*) Vide Eichhorn loc. cit. über Entstehung des Nabelgrübchens pag. 145.

rum varicellarum in apice fiunt planae et marginibus imbutae *).

Pustulae variolarum et varioloidum vero offerunt foveam umbilicalem, usque ad incipientem crustarum formationem, in ultimis tamen, praecipue, si pauce efflorescentiae adsunt, quaedam hoc foveola carent in utraque specie pustula sub acuto angelo supra cutem elevatur.

8) Varicellae fluido repletae, plerumque brevi ante stadium exsiccationis sunt rugosae, collapsae, vel saltem molles et pultaceae.

Variolarum et pure repletarum varioloidum pustulae vero sunt durae, elasticae; pustulae lymphaticarum variolarum vero quoque sub resorbtione sunt molles, et omni elatore orbae.

9) Varicellae cursum suum ab erruptione ad incipientem crustarum formationem absolvunt, tribus diebus, raro diutius, (exceptis varicellis variolidibus Heimii, quarum maturatio 6—12 dies duret); in variolis et varioloidibus id 5—12 diebus absolvitur.

10) Varicellae semper relinquunt planas et irregulariter circumscriptas crustas, quibus decedentibus cutis plana remanet.

Variolae et varieloides vero ibi, ubi non confluxerant formant segmento globi similes et in hac forma illaese decedentes crustas quoque, ubi dein in compluribus varioloidibus elevationes cutaneae remanent.

---

*) Hoc explanatio in causa verosimile est, cur nonnulli apud varicellas quoque quando foveolam unbilicalem conspexerunt, Hesseipse profert, quod id in variolis mox post eruptionem, in varicellis variolis similibus vero, si crustarum formatia incipit, occurrat.

11) Prius adducta descriptio integrae varicellarum cicatricis characteristica est, cicatrices variolarum et varioloidum, si quae remanent, plerumque copiosae, coloris ejusdem ut cutis, (ab initio tantum quidquam rubrae) eodem modo retiformes et sulcatae ut cutis, et irregulari, diverse crenato margine imbutae sunt. Si nonnumquam, ut in varicellis, cicatrices cum integris marginibus oriuntur, remanent tamen in eodem individuo crenatae quoque et sulcatae cicatrices, quod in varicellis numquam observatur.

Ex hac comparatione agnoscimus sequentia varicellarum signa pathognomonica:

I. In eruptione, prefundiorem et inaequalem ruborem irregulariter circumscriptorum stigmatum, quae antequam in tubercula elevabantur, sub digito comprimente ad momentum breve disparent, quae in simul confestim in molles pustulas vel papulas abeunt, adeo ut transitus in papulas saepe non agnoscatur.

II. In stadio evoluto exanthematis, defectum foveolae umbilicalis, (exceptis varicellis varioloidibus Heimii) angulum fere rectum vel obtusum, quem pustulae cum cute forment, et in nonnullis varicellis sub incipiente crustarum formatione marginem acutum.

III. Brevem inflorescentiae durationem, exceptis varicellis, variolis similibus.

IV. Sub exsiccatione, crustas planas, irregulariter circumscriptas.

V. Exiguum cicatricum numerum, si quae remanent, cum glabro alboque fundo et margine rotundo vel ovali, glabro et integro.

Sequentia symptomata, ut: febris mitior, ejusque brevis duratio, irregularitas ineruptione, pruritus durante eruptione et inflorescentia, conditio pustularum excultarum, novae posthumae efflorescentiae, irregu-

laris brevisque decursus etc. modo incerta sistunt signa, quia inconstantia sunt et in varioloidibus quoque inveniuntur, attamen valde diagnosim adjuvant.

Aetiologia.

Praedispositi sunt praecipue infantes, rarius adulti. — Illi quoque, qui morbum hunc, jam exantlavere, juxta Stark Dimsdale, Heim, Henke, Thomson, Hufeland etc. iterata vice adfligi possunt.

Causa excitans est contagium proprii generis.

Momenta pro asserto: contagium varicellarum esse proprii generis et diversum a varioloso:

1) Vaccinati, et qui varioles exantlavere, simili ratione corripiuntur, ut non vaccinati.

2) Vaccinatio in illis, qui varicellis afflicti fuerunt, eodem modo effectum suum exserit, ac si varicellas non exantlassent.

3) Varicellae et vaccinae insimul in eodem individuo existere possunt, quin essentialiter modificentur; sic Wachsel *) in infante quinta post vaccinationem die vidit varicellas exorientes, quae regulariter decurrentes vaccinas non turbarunt, idem vidit Fontaneilles, Alison Oelze **), Lüder. Seiler ***).

4) Imo in uno eodemque individuo varicellae et variolae insimul observabantur †), Hagendorn talem refert casum, ita et Walker; et Willani ††) experimentis edocemur, quod variolae inoculatae sub inflo-

---

*) Willan, loc cit.

**) Hufelands Journal der prakt. Heilk. 1822 1 St. Seite 87.

***) Hufeland's und Osann's Journal der prakt. Heilkunde 1826, 11. St. Seite 56.

†) R. A. Vogel praelect. de cogn. et curand. praec. corp. hum affect. Götting. 1772.

††) Batemann loc. cit.

rescentium varicellarum febri regulariter decurrebant, quin in his modificatio producta fuisset.

5) Opinionem a compluribus defensam, ac si varicellae insertae numquam varicellas producerent, jam Dimsdale Heberden et complu resmedici ex aevo vaccinationis primum cognitae refutarunt, et nostris temporibus Willan, Heim, Jahn, Hesse etc., qui ex varicellis insertis denuo ipsas efflorescentes observarunt.

Haec omnia, praecipue momentum tertium et quartum ad evidentiam demonstrant, specificam contagii varicellarum indolem, quum vaccina plerumque receptivitatem pro contagio varioloso tollit, vel tantopere minuit, ut mitior morbus, varioloides nempe, oriantur; exantlatis variolis rarissime pro vaccina amplius receptivitatas adest, et quum in casibus, ubi variolae et vacina in uno individuo eodem tempore efflorescunt, ambae vicissim influxum diversimode ipsas modificantem exercent *).

6) Similitudo tandem ambarum, identitatem earum non demonstrat, et id eo minus, sufficientibus nobis signis diagnosticis, diversitatem sat clare demonstrantibus.

His nec contradicunt opinio complurium, quod utrumque exanthema originem ex eodem aevo repetat, nec eruptio varicellarum brevi ante, vel mox post variolas; primum enim nondum sat clare patet cum relationes de origine varicellarum sat mancae tantum exitunt, quod quidem de variolis quoque valet; et quoad alteram objectionem tantum id profe-

*) Hesse, von den Folgen der Kuhpocken- und Blattern-Impfung bey Vaccinirten oder Geblatterten, und über das Zusammentreffen von Kuhpocken mit Blattern, Lpz. 1827.

rendum censeo, quod varicellae et epidemice et sporadice, quin antecederent, vel post vel in simul cum variolis efflorescerent, grassantes observabantur.

Erroneum eodem modo est judicium Freye'ri *) qui pus variolarum aqua dilutum inoculavit, et dicit: Exanthema hac ratione provocatum tam simile fuit variolis, ut ab omni medico pro variolis haberetur, sed circumstantia, quod individua postmodum variolis adfecta fuerunt, sat clare demonstrat, quod id varicellae fuerint.

Varicellae occurrunt nunc epidemice, nunc sporadice, respectu tamen hocce certa deficit notitia, quia singuli casus omnes medicis, in hoc morbo rarius in auxilium vocatis; non referuntur.

Prognosis.

Quae modo de varicellarum decursu et terminatione dicta fuerunt, quod nempe in plurimis casibus febris eruptionem ante et cum illa incedens sit exigua, quod efflorescentiae non nimis copiosae plerumque intrent, et quod decursus totius morbi in genere sit brevis et benignus; certe, testante quotidiana experientia, nos edocent, morbum praesentem periculosis accensendum non esse. Interim tamen, in singulis casibus perspeximus, hunc morbum quandoque non tantum febri exorbitante et gravibus symptomatibus, imo convulsionibus comitari, sed aliis quoque morbis, praecipue in infantibus scrophulosis, vel vermibus, et difficili dentitione laborantibus, junctum incedere, et morbos posthumos sistere posse, quapropter,

---

*) Heims, briefliche Nachrichten von Dr. Freyer in Havelberg in Horn's Archiv, B. 7, 1809, pag. 235.

si adhuc constitutio et reliquae aegri circumstantiae infaustae accedunt, prognosis utique anceps et dubia statuenda erit.

Therapia.

Sequentibus satisfaciat indicationibus:

1 Febris characteri congrue tractanda,

2 Exanthema in decursu regulari non turbandum, et

3 quodvis symptoma dubium strenue dignandem est.

Plerumque his indicationibus methodo exspectativa, adhibitis solum mitioribus remediis antiphlogisticis satisfit. Sub intensiori morbi effervescentia, vel gravibus et periculosis symptomatibus minantibus juxta casum individualem principiis therapeuticis conformiter, ut in variolis agendum est. Praecipue vitia diaetetica et refrigerium, quae fontem frequentem morborum posthumorum sistunt, difficulter tantum evitantur; hinc regimen strictissimum non tantum in primo morbi stadio, sed praecipue in stadio exsiccationis et reconvalescentiae strenue commendetur. Si efflorescentiae copiosae adfuerunt, conducit plurimum morbo finito usus eccoproticorum.

Ut infectio grassantibus varicellis praepediatur, praeter strenuam separationem nullum praestantius datum remedium prophylacticum.

Historia varicellarum in Instituto clinico caes. Reg. Academiae Josephinae tractarum.

Anamnesis. Antonius N.., 21 annorum, miles constitutionis sat firmae, temperamenti vivacis, vaccinatus, a pueritia ad praesens usque tempus omni fere anno anginis laboravit.

Initium morbi praesentis. Die 7ma Decembris mane, refrigerio perpesso contraxit febriculam, quae, cum typo remittente, per tres dies durans, praeter morositatem et delassationem corporis, alteraque morbi die, collum internum dolorificum, et deglutitionem quidquam impeditam aegrum non nimis molestavit, 9ma Decembris vespere autem tam intensa intravit exacerbatio, ut aegro, propterea 10ma Dec. ad nosocomium delato, mixtura ex sal. amaro cum nitro porrecta fuit, et hirud: N. 10 ad collum adplicabantur. Sequenti die 11ma Dec. ad Clinicum academicum susceptus, sequentia obtulit symptomata.

Status praesens. 11 Decem., 4ta morbi et 1 tract: dies. Caput moleste sollicitatum, adspectus inordinatus, oculi clari, genae rubrae, circumscriptae, linqua muco albicante obtecta, appetitus prostratus, sitis adaucta, fauces, uvula et glandulae tonsillares tumidae, intensius rubrae, et sub adtactu colli externo dolorificae; respiratio profundior solum dolorifica in scrobiculo cordis, tussis quandoque ob pruritum in larynge contingit; abdomen nolle, tractabile; cutis mollis ad transpirationem prona; alvus bis deposita liquida, pulsus aequalis, normali frequentior liber, sat fortis et plenus.

Diagnosis. Morbum coenesthesi alterata, frigore cum subsequo calore, functionum turbis et pulsu accelerato sese manifestantem.

1 Classi febrium adnumeravimus.

2 Cum symptomata febris continuo quidem sed non eodem tenore perstant, typus ejus est continuus remittens.

3 Character febris est irritativus, quod patet ex constitutione individui, ex causa morbi praegressa, brevi morbi duratione ex pulsu et symptomatibus non

nimis effervescentibus; et quidem, quia haec irritatio praecipue membranas mucosas occupat, est febris irritativa catarrhalis.

4. Complicatio, cum primario characteri nullus alius junctus est, nulla adest.

5. Vires, ex pulsu aequali forti, et turgore adaucto sunt sufficientes.

6. Comitationem sistunt tonsillae uvula et fauces inflammatae, quod ex dolore tumore rubore et calore adaucto harum partium agnoscitur.

Morbi propterea denominatio erit. Febris irritativa catarrhalis cum tonsillitide.

Prognosis. Hanc ob mitiorem morbi gradum, et infractum febris tenorem, faustam statuimus, cum et inflammatio localis non limites excedit nimiopere.

Therapia. Ad inflammationem localem infringendam hancce dirigimus, methodum antiphlogisticam mitiorem in auxilium vocantes, nempe cataplasmata emollicutia ad collum et collutorium blandum aegro propinantes.

12. Decembris 5ta morbi et 2 tract. dies. Aeger de nocte parum dormivit, quia et alvi ductiones tres, et exacerbatio febrilis illum somno privarunt. Haec exacerbatio de nocte ingruens nunc adhuc animadvertitur, caput est admodum grave, obtuse dolens, sub elevatione vertiginosum; adspectus totus inquietus; oculi splendore nitidi, facies rubra, linqua muco flavescente obtecta subsicca, appetitus nullus, sitis ad aucta; cutis temperatura normalem excedens, mollis; urina rubra; pulsus aequalis, normali frequentior non penitus liber, sat fortis, quidquam tensus. Vesperi febris multum remittebat, caput est liberum, facies composita; sed hinc, inde punctula intensius rubra irregularia, et cum pruritus sensu exorta cernuntur, quae ab

initio in pectore, dein in dorso efflorescebant. Affectio localis parum imminuta est.

13 Decembris. 6ta morbi, 3ta traitationis dies Praeter affectionem localem nulla febris indicia sed en! ubique modo efflorescentiae in facie, collo, pectore rarissime tamen in extremitatibus, conspiciuntur. Punctula heri rubra, cum pruritu in cute exorta, hodie ad tubercula supra cutem elevantur, quae margine inflammato imbuta, partim singula, pertim congregata, ad magnitudinem grani milii vel grani canabis increscunt in apice acuminantur, et vesiculas pellucidas, fluido albicante repletas offerrunt.

Diagnosis. 1. Hae efflorescentiae, in essentiali nexu cum praegressa febri existentes, exanthematibus adnumerandae sunt.

2. Maculae rubrae, in pampulas jam elevate, et fluido limpido repletae hoc exanthema designant qua variolosum.

3. Si porro respicimus, quod pustulae foveola umbilicati carent, ruborem stigmatum irregularium profundiorem, eruptionem subitaneam, et citam maturationem, verosimillimum est, exanthema offerre varicellas et quidem quoad formam varicellas acuminatas. —

Morbi denominatio erit. Febris irritativa catarrhalis cum tonsilitide, subsequis varicellis.

Prognosis. Hanc faustam statuimus, nisi accederent periculosae complicationes.

Therapia. Febri nulla praesente et eruptione et maturatione varicellarum recto ordine contin, gente confugimus ad methodum exspectatoriam, et aegro ob tonsilitidem dec: althaeae pro collutorio cataplasmata emoll. ad coleum, et dec. hord. cum sach. pro potu propinavimus, diaetamque tenuem ordinavimus.

14 D e c e m b. 7ta morbi, 3 exauth. erupt. et 4 tract. dies. Aeger bene, valet, basi adhuc magis rubescente hodie in compluribus varicellis limpidum ante fluidum, evadit, flavum, tubercula in extremitatibus inferioribus amplius non evolvuntur et sensim obfuscantur. Affectioni locali opposuimus hirud. N. 2 cum effectu exoptato.

15 Decemb. 8 morbi, 4 erupt: exanth. 5 tract. dies Anginae indicia fere omnia disparuerunt; ast novae hac die efflorescentiae posthumae contingebant, caeterae vero collapsae et rugosae conspiciuntur.

16 D e c e m b. 9. morbi 5. exanth. et 6. trait. dies Crises hac nocte apparuere per sudorem et urinam hipostaticam; in varicellis incipit crustarum formatio. 17. Decemb. 10. morb. 6. exanth. et 7tract. dies. Varicellae eodem ordine evanescunt, ut effluerunt, plurimae abiere in crustas fuscas irregulares, quae in nonnullis jam decidunt, et maculas fusco — rubras relinquunt. Exsiccatio hac ratione intra paucas dies absoluta fuit, et cum iusimul coenesthesis ordinabatur, appetitus increscit, animus pristinum recuperat vigorem, et nil stadium reconvalescentiae turbat, penitus sanitati restitutus 24. Decembris dimissus est.

Theses defendendae.

I.

Contagium varicellarum proprium et diversum ab illo variolarum est.

II.

Quidam, indolem morborum nonnullorum perspexisse opinantes, hanc cum morbi charactere confundunt.

III.

Observatio, etsi continua, experientiae numquam aequiparanda.

IV.

Morbi occurunt; quos medicus sanare caveat.

V.

Qui exanthematum eruptionem qua crisim considerare volunt; febrim quoque ante - et sub eruptione qua talem declarare possint.

VI.

Varioloides clarissime testantur virtutem vaccinarum antivariolosam.

VII.

Vulnerum sanatio non semper inflammatione, sed etiam attractione partium organico-vitali perficitur.

VIII.

Quo plura in morbo quodam laudantur remedia, eo minor singulorum virtus comprabata.

IX.

Partus praematurus arte pruvocatus unicum saepe, nulloque alio remedio resarciendum confugium.

X.

Iritotomia reliquis, pupillam artificialem formandi, operationibus postponenda, rarissimis in casibus exerceatur.

XI.

Operationes mentis singulae, singula quoque requirunt organa, nec ulla hujus operatio absque actione quadam organica in vitam transibit humanam.

XII.

Errant, qui Mercurii vivi virtutem tantum mechanicam putant.

XIII.

Videtur tantum, ac si recentioribus temporibus varicellae frequentiores et sub forma maligna occurrant.

XIIII.

Gonorrhöea vix umquam Mercurio eget.
